DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Martis nona mensis Decembris, anno Domini M. DCC. XLIX.

M. JOANNE-JACOBO BELLETESTE, Doctore Medico, Præside.

An in Abscessibus Intestinis suppuratio per vias urinæ & speranda & promovenda?

I.



APOSTEMATA, sive (Latinis) abscessus atque *decubitus* in partes corporis humani qualcumque, ubicumque tum intùs, tum extrà fieri tonsoribus & lippis notum est. Triplici terminari ratione, resolutione scilicet, suppuratione, aut gangrænâ, quartam non esse viam exitûs novit quivis philiater in rebus medicis adhùc recens. Resolutionem ægro non minùs, quàm Medico placere; suppurationem frustrà speratæ resolutionis vices supplere, non rarò, haud infeliciter; gangrænam detestatam sempèr fugi cane pejùs & angue in confesso est apud omnes. Felices nimiùm Medicos si inter diversos quos omni arte natura sæpè potentior affectat exitus, medenti liberum esset & optare, & convenientiorem viam eligere! At eheu quò natura vergit, eò se convertat Medicus oportet. Resolutionem moliatur si sinat natura, si faveat ægri valida temperies. Suppurationem incœptam jàm, incassùm tentet deturbare; gangrænam desævientem frænare, corrigere qui velit, minimâ grande periculum in morâ: imminentem tantummodò averruncare; magnum opus, hic labor est: ea cura medicantem sollicitat. At vitanti scyllam proxima est charybdis. Largâ sanguinis missione, eâque præproperâ, diætâque exquisitâ ultrà modum, sphacelus arcetur ab aliquo viscere.! Manet suppuratio; quid fiet? Dabitur-ne licentia puris foràs ejiciendi? Quà patebit transitus? Non semper se manifestum sub cute foràs eliciendum prodit: quà rumpet iter? Per secessum? Optimè quidem, si intrà fistulam intestinorum pus suum evomat apostema; sive quòd inter illorum tunicas enatum hàc, datâ portâ, ruat: sivè quòd alteri cuilibet abdominis parti insitum delitescat, quæ, naturæ vitio vel casu, cum aliquo ex intestinis crassis aut tenuibus tam arcto sit vinculo unita, atque ferruminata, ut sinè ullâ in abdomen *extravasatione* possit per canalem intestinorum pus omne & integrum eliminari. At rarò adest tam fortunata rerum dispositio. Ideò-ne prorsùs omnis abjicienda spes? Absit. Non unica est naturæ via ad salutem. Sub cute delitescentes apostases, tenuatâ, dilaceratâ cute viam sibi faciunt; quæ in ventriculo, per vomitum, sæpè; interdùm catò; quæ in intestinis per secessum vulgò sibi quærunt iter; quæ in substantiâ renum per ureteres in vesicam; quæ in vesicâ per urethram, exitum inveniunt; quæ in pulmonibus per *expectorationem* exscreationemque liberantur. At quæ in aliis partibus corporis, vel in remotissimis secessibus latent penitiore angulo non desperent exitum. Miraculis fœcunda semper natura huicce *decubituum* ultimo generi voluit inesse

exempla sanationis, viasque mirabiles aperuit ipsa; quibus intùs creatum efflueret venenum, liberatæque partes sanitatem pristinam, fugato hoste domestico, recuperarent. Exempla rara quidem, ne se credat immortalem mortalis homo, pauca tamen ne desperet, sciatque morituro similem non magis esse sinè spe, quam sinè metu esse debere athletico gaudentem habitu. Hoc iter, est urinarum via; remota quidem, non tamen fausta minùs. Non adversatur ratio, favet experientia, rara quidem, idcircò pretiosa magis. Parva confiteor, sed tamen solà spes, ideòque non temnenda in abscessibus intestinis, cùm nulla alia pateat via. Illam ne despicias quæ si non certò procuranda est, tamen speranda est, quæ est plausibilis & doctrinæ metastaσεων analoga, atque fabricæ corporis humani consentanea mechanismo, nec nisi felicem exitum obtinere potest? Si speranda, quis promovendam non censeat operationem ex quâ tanta in humanitatem redundare debent commoda?

II.

NIHIL unquam in rebus physicis adversante naturâ moliendum. Quò natura vergit, eò ducendum. Quodnam sit illius votum noscere haud semper in promptu est. Ab illâ expectaveris frustrà quidquid partium nostri corporis compactioni, & structuræ foret alienum. Consulenda igitur in omnibus; quid valeat, quid ferre recuset. In apostematum ratione quid affectet, judicatu persæpè difficillimum. Suppurationem intentant omnia, rubor rutilans, lancinans & indefinens pulsatio, calor urens intensissimè! Admoves maturantia, *helctica* seu attrahentia, ut liliorum pulpam, Diachylon cum gummi! Delitescit humor. Resolutioni favendum putas! Emollientia tùm sola tùm permixta resolventibus admoves! Induratur humor, te invito, te coràm spectante, te contrarium meditante; concrescit, abit in scirrhum. Hunc si quis temerè aggrediatur imprudens, horribilis visu se se expandit cancer. Quotiès ex improviso longè lateque inamabilis desæviit gangræna? Quod si in externis tam difficile judicium, quid fiet in intestinis? Si ex duplici in quâ continentur lamellâ, unam exitui propiorem potiùs quàm alteram ruperint apostemata, mens humana capit quâ viâ pestis illa è corpore ejici possit. At in partibus ab omni crassiorum excrementorum itinere remotissimis, qualia cerebrum, partes carneæ sive musculares à cute longè dissitæ, cellulæ adiposæ interiores, quæ ut aspectum ità contrectationem manus (securæ nimis extrinsecùs) respuunt, incassùm ferro & igne corpus pervadere tentaveris: ut naturæ, sic arti repugnat tam grande nefas; alia, si fiet, quærenda via est. Ars consulenda; si quam noverit, ea promovenda; nec quidquam sperandum, nisi sit ex animalis œconomiæ doctrinâ plausibile, nisi illius analogum atque consentiens mechanismo: nihil promovendum, ex quo faustum felicemque eventum obtinere atque sortiri nec speres, nec queas; & vicissim.

III.

ABSCESSUS intestinus grande malum. Si viam exitui paratam habuerit per intestinalem fistulam, per aures, per urethram, per os, semper grande malum. Si non habuerit magis grande malum; ne tamen desperes. Longiori quidem itinere, at noto & permeabili patet per medium ipsum sanguinem, per urinas via, quâ foràs à remotioribus locis eliminari possit materia peccans. Probat quotidiano usu nimìs confirmata Metastaσεων doctrina; favet structura partium; appetit natura sui conservatrix, & quod non quit è proximo, meditatur è longinquo. Et quàcumque fugam moliatur è corpore nociva materies, benè est. Hæc fuga sivè beneficio naturæ, ac faustâ fortunâ sivè arte procurata non potest quin prosperum ac felicem sortiatur effectum. Metastases fieri in corpore lethales si constat, fieri quoque salutiferas docet experientia. Si Erysipelata exteriora introverti malum, eadem interiora foràs emicare bonum. Ab ægro pede transfuga humor arthriticus caput impetat! qui priùs absque vitæ periculo de dilacerato pede miserè conquerebatur, jam doloris, at non periculi securus & expers, mortuo quàm vivo similior obmutescit, donec felici alterâ si potis est metastasi retrò pulsus humor aut pedem repetat, aut cujusvis alterius partis dispendio caput relinquat. Rheumata & Catarrhos derepentè in partes nihil tale metuentes irruere quis nescit? Sunt igitur in corpore humano viæ cùm cognitæ, tùm lapsu temporis cognoscendæ, per quas liberè ab omni corporis parte ad quamcumque alteram itur; daturque inter omnes & singulas certum nec dubitandum commercium. Quamvìs ætas nostra nepotibus nostris longè plura quærenda relictura sit, quàm inventa, non ideò tamen nostris temporibus ita cæcutit, quin pervideat quâ viâ in remotissimis partibus suppuratus humor possit ex illis ad vesicam usque transmigrare, indè foràs ejiciendus; nullas novit anatomia partes non permeabiles: vix excipias fibram primam, stamen illud spermaticum ex quo aliæ fibræ constant. Canales meritò habentur omnes ad instar telæ aut panni porulis undequaquè pertusi: illàc transsudat humor tenuior in canale præter-fluens. Forsàn effugeret omnis, si diutiùs moraretur. Nullus est in corpore locus tam arctus, nulli adsunt tam clausi carceres, quos non pervadat

fluidum per corpus omne circunfluum, unde eâdem de causâ non possit regredi. Vascula sanguinea sanguinem ad singulas minimasque fibras devehunt: quod non absorpsit singula, revehunt. Quod recèns absorpsit unaquæque, sibi servavit, aut applicuit, tam benè potest dimittere, quàm partes quæ quotidiè deteruntur, quarum reparationi invigilat, nutritionis functione, provida & sagax natura. Vasa si addas lymphatica ex arteriis oriunda variis confectis itineribus in venas hiantia, secretoria & excretoria, alia in glandulas, alia in vasa lymphatica succum acceptum evomentia, tandem in massam sanguineam; quot erunt aditus per quos à parte remotissimâ per massam sanguineam ad renes usque trajici poterit? Quænam est pars ita densi contextus quæ non constet filis inter se decussatis se se mutuò intersecantibus? Est ne intersectionis loco contactus verè immédiatus, verè perfectus? Positâ decussatione, nec est, nec concipi potest. Pus tàm arctè clausum quàm volueris, in folliculo quàm densissimo supponatur, patebunt semper exitûs viæ. At vulgò non hâc ratione, ob spissitudinem, pus ex abscessibus intestinis effugiet, tunc enim resolutio non suppuratio fieret. Rumpitur maturato pure plerumquè abscessus. Pure in textum cellularem qui per corpus omne pulvinaris ad instar cuivis vel tenuissimæ parti substernitur, effuso, liquet quâ ratione illius *resorbitio* possit peragi, in parte quæ perpetuâ muci vel roris effusione & jugi ac reciprocâ *resorbitione* semper humescit. Interdùm inviolato folliculo remeat: suppuratione putrescunt extrema vasorum arteriosorum, tùm sanguineorum tùm lymphaticorum per quæ accessit congestus humor. In liquamen paritèr abeunt tubuli venosi congeneres per quos reversus fuisset in sanguinem idem iste humor collectus. In promptu est quâ ratione communem sanguinis alveum repetere possit pus diù multùmque dilutum & perfectè liquatum. Utramcumque viam elegerit, facilis descensus renum: Quis igitur non movendus lapis ùt hanc viam ineat? Quanta spes si unquam vel arte vel naturâ hoc iter affectare possit?

IV.

NEC nova etsi rara, nec inaudita loquimur, nec invisa: pluriès ire per urinas ipsi testes oculati vidimus, post inflammationem viscerum abdominis, pectoris, ipsiusmet cerebri & aliarum crassiorum corporis partium, quam præcesserant dolores urentes & lancinantes, rigores, horrores (diutino tempore) frequentes die ac nocte, febres continuæ cum inordinatâ vehementium paroxysmorum frequentiâ, cum cardialgiâ, interdùm animi deliquio, subsultibus tendonum, tremore artuum spasmodico, cum pulsu tremulo & centiès per dies vario, materiam ita puri similem, ut pus verum esse non dubitaremus. Absurdum-ne foret plurium febrium malignarum causam assignare puri in interaneis *stenti*; facti, per renes expulsioni, morbi sanationem tribuere? Hæc materia urinæ comes illam primò turbulentam reddit: da moram: paulispèr quiescat in cyatho; brevi subsidet in fundo vasis, puris ex luteo sulphureo vel pallido candidi major minorve copia. In quo dignoscatur hæc materia à liquamine lymphatico fibroso & viscoso, aliis urinæ morbis peculiari, cùm symptomata præfata indicant, tùm *consistentia* seu spissitudo diversa, & odor. Pus penitùs solvitur in aquâ, & quantumvìs spissum levi agitatione brevi morâ liquescit prorsùs; non itèm *subsidentia* lymphaticæ, quæ ramosæ innatant longùm, dum purulentæ extemplò se dant præcipites; quæ non fœtent dum intolerabilem exhalat mephitim purulenta *subsidentia*. Hoc, inter plura, quæ interdum in praxi occurrunt, exempla, vidimus non semel, nec sinè magno lætitiæ sensu. Duobus exemplis propositum confirmare sit satis. Ephebus quidam anno ætatis circiter 14 dolore subito, eoque vehementi fuit circa tibiæ sinistræ malleolum derepentè correptus. Accersitus extemplò Chirurgus locum invisit; doloris indicem cum rubore tumorem lèvem agnovit, Cataplasma apposuit ex lacte, ni fallor, & micâ panis; misit sanguinem, altero die rejecto cataplasmate emplastrum substituit Diachylon cum gummi; vix tertia illuxerat aurora, fluctuare intùs paulispèr materia. Chirurgus velle, nec forsàn immeritò, quamvis paulò maturiùs justo, pure nondum perfectè maturo, inclusam pestem ferro educere. De carissimi nati periculo mater admonita filium à præceptore apud se transtulit; illicò familiari commisit Medico: post duos tresve dies pure magis eliquato, copiâ majori collectâ, tenuatâ magis cute, atque cataplasmatis emollientibus & attrahentibus ex bulbis liliaceis, betâ, oxalide, fermento, melle, ficerâ & axungiâ paratis emollitâ, necnon ab inflammatione, doloreque liberatâ, Medicus ferro aperiendum censuit apostema. Non renuebat Chirurgus; mater tenerrima simul ac fortis non obstabat; solus puer alioquìn ingenuus ità reluctabatur ut per octo & ampliùs dies suaderi se passus non fuerit; carissima parens nato vim inferri nolebat. Folliculus puris crepuit intereà medius, sed à parte internâ. Partes subjectas innumera officula quæ substernuntur, omnia ligamenta quibus internectuntur, tendones, musculos, textum omne pedis nerveum, cellulosum, aponevroticum, quà data porta inundavit; totus pes intumuit, adeò ut libram & ampliùs puris continere videretur. Mater, consilio Medici, iterare preces vellet ut natus pedem aperiri, brevi (si hoc nollet) amputandum; constanter ille renuere. Regimine exquisito interìm cui ma-

ter invigilabat præscripto, & in usum vocato leviter aperiente potu, natura insperatum opus moliebatur. Constanter renovata bìs aut tèr quâque die cataplasmata: prodiit in conspectum pus copiosum effluens cum urinis: pes detumuit, non tamen sine interruptione, interdùm enim per integros dies cessabat fluxus puris; quod paucos post dies audivimus tribuendum fuisse malè obsequiosæ custodis temeritati, quæ quatèr aut qninquiès allatis clàm uvis aut similibus eduliis vigilantiam matris deceperat, undè non tantùm hæserat pus, sed penè suffocatus fuerat puer: tandem detectâ fraude pulsâque perfidâ custode, spatio quinque aut sex hebdomadum convaluit æger; nec claudicationis ullum post aliquot menses remansit vestigium; sanissimo hodie ab octo jam annis & ampliùs remanente corpore. Alterum exemplum puellæ viginti quatuor circitèr annorum, cui post inflammationem universi abdominis remansit in hypogastrii regione sinistrâ tumor prægrandis qui omnia suppurationis manifestæ suppeditabat indicia. Tumore maturo crepuit similiter Folliculus. Puris diluvio inundatæ partes subjectæ, coxa, tibia, pes. Variis in locis, tunc frustrà tentata apertura, peracta nullibi: malè habuit per menses plures. Puris quod per duos & ampliùs menses unà cum urinis fluxit, effusione, febris evanuit; virgo sanitatem recuperavit, viresque rediere. Alia proferremus plura quibus fluxum puris per urinas (sanis renibus & organis *urinariis*) viam fuisse salutiferam in evacuandis abscessibus intestinis, testes ipsi fuimus. Verùm ab uno abundè exemplo rem posse fieri constat, ex voto naturæ esse, doctrinæ Metastaσεων esse analogam, respondere partium structuræ, felicem fortunatumve non posse non eventum sortiri, si hanc promoveri siverit natura.

V.

MAGNÆ molis opus est è tam longinquo pus arcessere ac ciere! Fateor ardua res est. At quocùmque fertur sanguis hìnc remeare potest. Si locus foret quo non permearet massa sanguinis, haud mora non alteram lucem videret æger. Nulla caret in corpore circuitûs commercio insula; meliùs dixeris in microcosmo peninsulas reperies, insulam nullam. Undequaquè & quaquaversùm unà permixti cum sanguine peregrinari possunt humores extranei, puri, impuri, permixti bonis mali, prout se dabit occasio. At diureticum quod tam mirabiles producat effectus nullum indicas! Quì indicarem Medicis? Diuretica per se nulla sunt; omnia relativè ad objectum. Generatìm diætâ tenui & exquisitâ imò exquisitissimâ tantùm, & diluentibus pus liquefacies, canales emollies: sic rebus dispositis lentâ festinatione indefessè moliens, nec moræ longissimæ fastidio abalienatus satiatusve noveris è facili aperientem quæ ad morbum faciat medicinam, diligens observator. A mitioribus incipe, tutus ibis. Febrem consule, pulsum indicem operum, sedulus explora. Laxam habe alvum. Emollientibus externis, si opus est, flexilem fac semper; pori cutis cave strictiores indesinentis (quâ vita pendet) perspirationis obliviscantur. Porta pateat ubique. A naturâ plurimum, non nihil ab arte expectes. Febrem præcipuè cura, cave tamen præsertìm à cortice febrifugo. In causâ fuisse cur multi perirent, apostemate laborantibus imprudenter, aut immaturè exhibitum, asserere non ausim; sed rigores, horrores & paroxysmos febrium continuarum quæ apostemata comitantur, auget, nedum minuat. Febrem quâcumque arte aliâ profliga, res prosperè cedet. Verùm hâc arte paucos liberabis! Imò paucissimos; ast aliâ quam sciam nullos.

Ergò in abscessibus intestinis suppuratio per vias urinæ & speranda & promovenda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Chevalier.	*M. Jacobus Verdelhan des Moles.*	*M. Ludovicus-Petrus le Hoc.*
M. Franciscus Bernard.	*M. Claudius Person.*	*M. Antonius-Nicolaus Guenault.*
M. Joannes le Thieullier, Chirurgiæ Gallico Idiomate Professor designatus.	*M. Ludovicus-Renatus Desbois.*	*M. Paulus-Jacobus Malouin, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, & Regius Librorum Chimicorum Censor.*

Proponebat Parisiis, MARTINUS NOUGUEZ, Adurensis, è Comitatu Armeniaco, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1749.